

Rome, fin mars ou début avril 1602.

III<sup>me</sup> et R<sup>me</sup> Domine.

Si mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, ut Sanctus ait Gregorius, dubitare non possum, quin sancta anima episcopi Virdunensis, quae Dei amore flagrans magnis antea itineribus ad coelestia properabat, nunc tot funeribus charissimorum pressa, quasi tot calcaribus incitata, longè celerius ad Deum ire festinet. Non enim Dominus meus Henricus de illis est, qui contristantur de dormientibus, sicut et caeteri, qui spem non habent, sed de illis potius, qui semper cogitant hospites se et peregrinos esse, et fratres nostros, qui cum pietate dormitionem accipiunt, optimam habere spem repositam, neque nobis perire, sed nos praeire ad patriam. Sancta illa Regina soror vestra anno superiore diurnae patientiae coronam accepit; non multo ante insignis ille Comes frater item vester in bello canonico, adversus ferocissimos Turcas fortiter pugnans gloriose occubuit; nunc demum nobilissimae familiae columen heros non minus pius quam fortis Dux Mercurii, post devictos egregia pugna Barbaros, alienissimo tempore, si reipublicae christianaee pericula cogitamus, sed opportunissimo, si Dei providentiam respiciimus, in pace quievit. Haec certe tanta et tam brevi intervallo repetita flagella facile possent animum terrae affixum ita perturbare, ut etiam de statu suo moverent; sed absit, utsuspice⁹ Dominum Henricum episcopum Virdunensem, cuius cor coelo affixum esse non dubito, humanis casibus ita moveri, ut consolatorio sermone indigeat. Melania quondam sancto Hieronymo teste cum adhuc calente mari-  
ti corpusculo, et nedum humato, duos simul perdidisset filios, lachrymae guttam non fudit, stetit immobilis, et ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. Quod si foemina mariti et liberorum funera siccis oculis aspicere potuit; qua tantum animi constantia Christi servus, summoque sacerdotio praeditus

/ Henricus meus dormitionem sororis et fratum feret? Haec nimirum  
 causa fuit, cur usque ad hoc tempus nihil super his humanis casi-  
 bus scribere voluerim. Nunc vero redeunte ad Illustrissimam D.  
 vestram D. N. nolui permettere, ut sinè meis litteris ex Urbe dis-  
 5 cederet: tum, ut de eius diligentia et solicitudine testimonium  
 perhiberem, tum, ut angustias meas Amplitudini vestrae significa-  
 rem: quasi enim cardinalitia cruce parum oneratus viderer, adiecit  
 Dominus aliam crucem, curam videlicet pastoralem Capuani archie-  
 piscopatus. In qua re certo scio, compatietur mihi Illustrissima  
 10 D. V. quae satis iam experimento didicit, quam gravi pondere hume-  
 ros animae premat solicitude pastoralis. Cum primum a Summo Pon-  
 tifice consecrationis munus accepero, quod spero fore in octava  
 Paschae, ad ecclesiam mihi creditam advolabo. Itaque novit iam Am-  
 plitudo vestra, si quid mihi deinceps commendare vel imperare vo-  
 15 luerit, quo litterae dirigendae sint. Coniungamus interim, si  
 placet orationem, ut de tam ingenti periculo, quod secum adfert re-  
 gimen animarum, salvi aliquando atque incolumes evadamus. Romae  
 1602.

[ Fuligatti, Epp.famil. XXIII.]